

Que sine fine dolent miserum Phetonta sorores.
 Hic aderat sacrata cohors Heliconis ameni,
 Carmina ut audirent nullis cedentia priscis,
 Que Rome ediderant divina mente poete;
 Rus placet, huc fugiunt stolidi fastidia vulgi. 5
 Arcu deposito, plectrum retinebat Apollo
 Atque lyram^(a); pendent humeris de more sagitte,
 Insignitque virens divinam laurea frontem.
 Cum quo Pierides, doctarum turba sororum,
 Omnes usque pedem Daphnea^(b) fronde revincte, 10
 Lete aderant festoque dabant spectacula cultu,
 Cum gemini vates, latine gloria lingue,
 Mirificos docti depromunt ordine cantus.
 Calliope studiosa regit de fronte choream,
 Vertice vel tota superans cervice sorores. 15
 Reginam ut patrius^(c) dabat hanc dignoscere cultus,
 Maiestas sic alma deam^(d) lumenque serenum.
 (Cynthius)^(e) immotus perstabat corpore fixo,
 Non digitis plectrove lyram sed nec pede terram
 Pertentans, opus usque suum miratur in illis. 20
 Forsitan ut iussit Phebus vel ut ipsa tulit sors,
 Franciscus cecinit prior; illum terra^(f) (Fiani)
 Vate suo noscenda dedit; non inscius^(g) urbi
 Publica Romulei signat decreta senatus.
 Desiit ut cantu, pause brevis affuit hora. 25
 Incipit Antonius gentili a nomine Luscus,
 Urbs huc quem Venetum rerum pulcherrima misit
 Ad sacros orare pedes et limina^(h) sancta.
 Cum canerent⁽ⁱ⁾, resonat septem de collibus ingens
 Roma, memor veteris per vatum carmen honoris; 30
 Et quecunque tenent spatium nomenque vetustum
 Nunc loca, vel superant antiqua ex^(k) (urbe ruine),

(a) *Codd.* At lyram (b) *B* damnea *C* Dapnea (c) *Codd.* prius (d) *B* dicta
 (e) *Lacuna nei codici.* (f) *Lacuna; B mette puntini.* (g) *B* nec inscitus *C* insitus
 (h) *C* lumina (i) *Codd.* caneret: ma il senso pare richieda canerent; (cf. p. 457,
 vv. 15-9). (k) Dopo ex *C* reca urine (sic) e nient'altro; *B* lascia lo spazio in bianco.